

CAPUT V.

DE CONSERVIS.

§. I.

EX FLORIBUS:

CONSERVA FLORUM AURANTIORUM.

R Florum Aurantiorum . . . libram unam;
 Sacchari albi . . . libras tres:

Flores, demptis calycibus, minutim concisi Saccharo clarificato, & ad tabellarum consistentiam cocto, dein tepefacto, spathula lignea bene miscendo redigantur in Conservam, quæ, spuma exempta, in vascula effundatur tepido loco reponenda, donec crusta in superficie appareat.

Sic parentur Conservæ

Florum Calendulæ,

Chamæmeli,

Lilii Convallium;

Rosmarini,

Salviæ,

Tiliæ,

Tunicæ.

CONSERVA EX FLORIBUS VIOLARUM.

R Florum Violarum ablati calycibus libram unam;
 M Sac-

Sacchari clarificati, & in Electuarium solidum cocti libras tres;

Sacchari pulverati unciam unam:
In mortario lapideo Flores cum Saccharo pulverato in formam pultis contundantur: deinde cum Saccharo clarificato spatha lignea misceantur. Cum paullulum bullierint, Conservam ab igne remove.

Eadem methodo conficiantur Conservæ
ex Floribus Betonicæ,
Cichorii:

Item ex Floribus concisis primum, dein contusis
Borraginis,
Buglossi,
Malvæ,
Nymphææ,
Pæoniæ, &c.

CONSERVA FLORUM PERSICORUM:

R Florum Mali Persicæ, rejectis calycibus libram unam;
Sacchari clarificati, & ad penidii consistentiam cocti libras duas:

In pila marmorea optime pnsentur Flores, & cum Saccharo adhuc fervente pistillo ligneo immiscendo cogantur in Conservam.

Sic parentur Conservæ
Rosarum Damascenarum;
Pallidarum.

CON-

CONSERVA ROSARUM RUBRARUM.

R Rosarum rubrarum, quæ nondum expansæ sint,
 rescissis unguibus libram unam,
 Sacchari clarificati, & in Syrupum
 crassiore cocti libras tres:

Rosæ linteo inclusæ mergantur in aqua fervente, & paulisper immersæ maneant: mox in aere suspendantur, donec Aqua stillans rubere incipiat: tum prælo superpositis Floribus eliciatur Succus, qui asservetur. Idem expressi Flores in mortario lapideo contendantur: postea Syrupo permisti decoquantur, spatula lignea indefinenter revolvendo, & Succum expressum paulatim addendo ad justam Conservæ consistentiam.

CONSERVA EX DUPLICATIS ROSIS RUBRIS.

R Rosarum rubrarum mundatarum . . libras duas;
 Sacchari albi clarificati, & in Syrupum cocti libras tres:

Ex Rosis, ut supra dictum est, elice Succum: tum magnetis dimidium in pila marmorea rite contusi in ferventem Syrupum injice: brevi bulliant: deinde Succum per partes adjice, & quantum satis, iterum decoque.



§. II.

EX FOLIIS HERBARUM.

CONSERVA ABSINTHII.

R Foliorum Absinthii adhuc teneri. . libram unam,
Sacchari albi libras duas :
Folia a caulibus diligenter separata in mortario lapideo
tundantur : cum Saccharo in modum penidii cocto,
atque etiamnum tepido probe misceantur .

Sic fieri potest Conserva
Arthemisiæ,
Tanaceti, &c.

CONSERVA ACETOSELLÆ:

R Foliorum Acetosellæ recentis . . libram unam;
Sacchari clarificati, & cocti . . . libras duas:
Minutim concisa Acetosella Saccharo tepelfacto accu-
rate immisceatur.

In Conservam similiter redigi possunt
Cherrefolium,
Cochlearia,
Eruca,
Nasturtium aquaticum:



§. III.

EX FRUCTIBUS.

CONSERVA CITRI.

R Pulpæ Citri cum Cortice . . . libras duas,
 Sacchari albi . . . libras tres:

Derafos Citri Cortices inde cucurbitæ capitello instructæ, & M. B. Aquam elice ad uncias circiter duas, quam serva: tum Cortices e cucurbita exemptos una cum Pulpa incisa in sufficienti Aquæ quantitate decoque: per setaceum Pulpam trajice: cum Saccharo in ejusdem decoctione clarificato, & in solidum Electuarium redacto commisce: deinde ad ignem lenem assidue agitando eatenus evaporare finito, ut adjectione Aquæ illius, quæ asservata fuit, Conservam habeas justæ consistentiæ.

Similiter confici possunt

Conservæ Aurantium,
 Limonum.

CONSERVA CYDONIORUM.

R Pulpæ Cydoniorum . . . libras duas,
 Sacchari albi . . . libras tres.

Cydoniorum Pulpa demptis feminibus in Aqua decoquatur: per setaceum trajecta, Saccharo in ejusdem decoctione clarificato, & ad tabellarum consistentiam cocto addatur, lenique igne, & continua agitatione

tatione, quantum satis, evaporet.

Ad eandem normam paretur

Conserva Cornorum,
Cynorrhodon.

N. Ex integris Fructibus Conservas, sive Condita conficiendi alia est ratio: E. G.

R

Ceraforum acidorum,

Sacchari albi . . . ana partes æquales:
Saccharum Aqua dissolutum Ovi Albumine clarifica,
cola, & coque fere in modum Electuarii solidi: rum-
eo tepefacto Cerasa ad aliquot horas immerge: po-
stea in Syrupi consistentiam decoque, demptaque
spuma in vascula vitrea effunde.

Simili modo condiri possunt

Fructus alii molles, & succosi.

§. IV.

EX RADICIBUS.

CONSERVA CONSOLIDÆ MAJORIS.

Symphyti majoris Radix in Aqua percoquatur ad li-
quamen: deinde cribro e setis contexto transmissa
cum duplo Sacchari clarificati ad ignem lenem assidue
movendo in Conservam redigatur.

CONSERVA HELENII.

Tenellæ Radices Helenii minutim concisæ in mortario
lapi-

lapideo ad pultis formam pinsentur : tum per cribrum extrahatur Pulpa, quæ cum duplo Sacchari tabellati tundatur, & probe commisceatur.

CONSERVA HELENII ALTERA,
SEU CONDITUM.

R Radicis Helenii recentis mundatæ libram unam,
Aquæ communis . . . libras octo:
Radicem frustatim sectam ad octo dies macerari per-
mitte : mox ad mollitiem coque : tum Decoctum
defunde, in quo clarifica Sac-
chari albi . . . libram unam, & semis :
In Saccharo clarificato eadem Radicis frusta ad triduum
prius infusa iterum coquantur, dum crassior evadat
Syrupus, in quo Condita servari possunt, vel e Syru-
po exempta in hypocausto siccantur.

Similiter condiende Radices

Angelicæ odoratæ,
Eryngii,
Satyrii, &c.



CA-